



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XLIII. Vtrum ordo charitatis sit conformis ordini bonitatis rerum secundum
se?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

augmentum eiusdem habitus cum proportionem ad solum excessum intentionis actus, vel cum proportionem ad totum actum secundum se, & ad actus precedentes minus intensos, aut minoris perfectionis specificæ. Si primum: omnes quatuor Conclusiones precedentes euadunt falsæ, quæ tamen sunt efficaciter comprobata, & admittuntur proculdubio à D. Thoma in præsentis q. 24. art. 4. & 5. & maxime 6. Si secundum: perperam expectatus est actus intensior respectu augmenti, correspondentis reliquæ intentioni eiusdem actus, & actibus precedentibus; siquidem ratione huius augmenti specialis superat noua intentio habitus totam intentionem postremi actus, sicut superasset intentionem, & perfectionem actuum precedentium, si augmentum iisdem actibus correspondens retributum fuisset, cum primum illi actus præexistere. Concluditur ergo habitum Charitatis augeri per omnes, & quosvis actus, siue intensos, siue utcumque remissos, tum suos, tum reliquarum omnium virtutum, idque in eodem instanti pro quo illi eliciuntur. Vnde colligitur reliquas etiam omnes virtutes infusas, eodem modo simul cum Charitate augeri propter connexionem Charitatis cum cæteris virtutibus stabilitam in quæst. præced. Quia rationes ibi productæ non minus conuincunt connexionem, quoad augmentum, quam quoad existentiam simpliciter.

Ad 1. Distinguitur antecedens. Sunt causa æquiuoca meritoria: Conceditur antecedens. Physica: Negatur antecedens cum consequentia. Quia actus etiam Charitatis, tametsi intensiores sint, quam habitus præexistens, causant quatenus meritorij sunt, effectum physicè præstantiorem, quam sint ipsi, nempe Gloriam. Est enim de ratione præmij conferendi de futuro, aut obscure præcogniti per fidem, ut sit longè maius physicè, quam opus meritorium secundum se. Alias enim non posset prudenter sperari victoria difficultatis, quæ iresset, persecutioni meritoria honesti, & propositio præmij euaderet inutilis, & imprudens, de quo alias ex professo, & non nihil dicitur q. 9. de Incarn. ad 6.

Art. 1. Ad 2. Negatur antecedens Quia remissa operatio non opponitur facilitati physicae ad operandum intense, ut patet in potentiis exterioribus. Quare ex actibus remissioribus habitu præexistenti solaturitur inclinatio, & facilitas maior intentionalis ad operandum remissè, atque inde minuitur indirectè, si præcesserat, inclinatio, & facilitas intentionalis ad operandum intense. Ex qua ulterius ratione procedit habentem æqualem intentionem virtutum infusarum, posse nihilominus habere inæqualem inclinationem, & facilitatem intentionalem, propter inæquale exercitium earum: Hinc ad confirmationem dicitur proportionem esse seruandam, quoad id, quod actus utriusque ordinis activitate sua physica inducunt; nempe quoad inclinationem, & facilitatem intentionalem, quæ per experientiam manifestè percipitur, utpote consistens principaliter in experimentalium actuum precedentium notitia non verò seruandam esse, quoad id, quod actus supernaturales inducunt meritorie; hoc est, quoad augmentum intrinsecum, & substantiale habitus infusi; cum nulli actus naturales augeat vllum habitum meritorie.

Art. 2. Distinctio ista facilitatis purè physicae ab inclinatione, & facilitate intentionali, de qua dictum est q. 1. est quam diligenter obseruanda, quia eius defectus, ut detur fuisse causa præcipua dritur opinandi circa quæstionem præsentem, Bañez, & nonnullis alijs, atque discursus, & exempla quibus D. Thom. loco nuper indicato palam aduersari videtur postremæ Conclusioni, solum conuincunt inclinationem, & facilitatem intentionalem præexistentem, non augeri, quo usque superueniat actus intensior; neque quidquam conuincunt circa augmentum substantiale habitus infusi secundum se, ut patebit attentè ipsum

legenti & attentè aduertenti, & applicanti distinctionem datam.

Ad 3. Concesso antecedenti, negatur secunda pars consequentis, & consequentia quoad eandem, quæ videlicet pars consequentiæ est de affirmatio ad negatiuum; ideoque inutilis, & non est vniuersaliter vera loquendo de dilectione actuali ex parte hominis. Quia Deus sæpè infundit habitum Charitatis, & sæpè auget iam infusum, per Sacramenta, nullo existenti actu Charitatis seu intenso, seu remisso in recipiente. Vnde apparet esse abs re illud, quod infundatur de simpliciter, & secundum quid; & indidem corruit similiter confirmatio; quia utrobique fit falsa suppositio. Et præterea ante primam infusionem habitus Charitatis, non est locus merito simpliciter, & absolute tali, quo vigent actus postea subsequentes, siue sint Charitatis, siue aliarum virtutum, & siue intensi, siue remissi.

Art. 1. Ad 4. Conceditur sequela loquendo de continuatione, & eius partibus formaliter liberis noua libertate; & negatur consequentia. Primò, quia licet intra horam sint infinitæ partes in potentia; non tamen sunt infinitæ partes actus, ut docet Philosophus, nihil docens aliud toto lib. 6. Physic. Ad infinitum autem actus non sufficiunt infinitæ partes tantum in potentia. Quare sicut hora, & tota vitæ humanæ duratio, non obstante infinitate partium in potentia, non est infinitum, nec valde magnum tempus; ita nec augmentum Charitatis est infinitum, nec necesse est, ut sit valde magnum propter proportionalem additionem partium in potentia.

Art. 2. Deinde actus liberè elicitus perseverat necessariò per aliquod temporis interuallum. Omnis enim qualitas habens contrariam qualitatem, ut habet omnis actus liber, habet etiam vim aliquam resistitiuam contrarij, nec cedit illi in instanti. Præterquam quod non vsque adeò deficiamus à perfectione, & natura Angelorum, ut propriam earum immutabilitatem in æternum non participemus immutabilitate per exiguum temporis interuallum. Quare noua libertas, ac per consequens nouum meritum, & nouum augmentum præmij, redeunt tantum per interualla. Quo cessat absurdum, & apparentia absurdi.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrum ordo Charitatis sit conformis ordini bonitatis rerum secundum se?

VIDEATUR esse conformem. 1. Quia ordo Charitatis conformis voluntati diuinæ, utpote cui homo coniungitur per Charitatem vinculo perfectæ amicitia, ut dictum est quæst. 39. Et amicorum proprium est eadem velle, & nolle, atque eodem modo. Voluntas autem diuina est omnino conformis ordini bonitatis rerum secundum se, ita ut meliora quæque magis amet necessariò; minus verò, quæ sunt minus bona, & æqualiter æqualia, ut dictum est cum D. Thoma, & alijs communiter in quæst. de Deo. Ergo ordo Charitatis est per omnia iustè conformis ordini bonitatis rerum secundum se.

2. Fieri non potest, ut operans conformiter ad exigentiam alicuius habitus, non se habeat eodem modo respectu omnium, quæ continentur sub motiuo talis habitus; sicut se habet respectu eorundem idem motiuum. Motiuum autem Charitatis est bonitas diuina, cuius participatio est omnino conformis gradui bonitatis, quam habet vna quælibet res secundum se. Ergo Charitas afficitur magis, vel minus ad quælibet sua obiecta materialia secundum gradum bonitatis conuenientis ipsis secundum se.

3. In animo bene disposito eundem retinent ordinem res omnes, quem habent in seipsis, vt docet Philosophus quoad intellectum; animus autem hominis est optime dispositus per Charitatem, nec potest inordinate affici, aut operari dum operatur per ipsam, & sequitur eius inclinationem. Ergo operans ex Charitate necessario operatur, & afficitur ad res omnes iuxta bonitatem ipsarum secundum se.

Art. 1. Resp. Ordo Charitatis, qui ipsi conuenit auctore Deo, iuxta illud Cant. 2. 4. *Ordinavit in me Charitatem*, totus ad hæc tria capita reuocatur. Primo vt Deus super omnia diligatur, eidẽ subiiciendo omnes potentias, & vires animæ, omnesque inclinationes, vt præscribitur Deuter. 6. 5. expositum est supra & q. 4.

Art. 2. Deinde, vt vnusquisque se, & suam beatitudinem amet super cætera creata. Quia vnusquisque est effectus diuinæ voluntatis, quatenus amantis ipsum, eaque actione potissimum intendens bonum ipsum, eundemque ordinantis in propriam beatitudinem. Et insuper habitus Charitatis est donum essentialiter collatum affectu amabili, ac proinde destinatum specialiter ad utilitatem propriam accipientis, vt liquet ex eadem q. 39. Vnde habens Charitatem, non potest conformari diuinæ voluntati, ac proinde nec satisfacere intentioni, quam supra dictum est esse simpliciter primam, ac principalem Charitatis, nisi se primo, ac potissimum, atque maximo affectus pondere supra cætera creata impendat bono suo in ordine ad propriam beatitudinis consecutionem.

Art. 3. Tertio denique ordo Charitatis consequenter postulat, vt inter fines quibus præferantur ab vnoquoque coniunctiones sibi, quoad ea, quæ vnquamque coniunctione concernunt, & ex æquæ coniunctis similiter præferantur ij, quorum coniunctio est præstantior ex parte ipsorum. Ac deinde qui sunt secundum se, & respectu Dei meliores. Inter fines autem quæ sunt præferenda, quæ magis coniungunt cum ultimo fine, quæque ad eius consecutionem magis conferunt. Nempe in quolibet genere propinquiora primo sunt priora sub eadem ratione. Dictum autem est, vnumquemque sibi esse primum post Deum, & inter fines qui, esse itidem primam beatitudinem. Ordo igitur Charitatis incipit in vnoquoque à seipso post Deum, & ad cætera progreditur secundum habitudinem, & coniunctionem ipsis conuenientem respectu sui, & consequenter non est conformis ordini bonitatis rerum secundum se, nisi quoad ea, quæ respectu cuiusque æqualiter se habent modo explicato.


Ad 1. Ad perfectionem amicitia, & Charitatis cū Deo sufficit conformitas cum eius voluntate, quæ dicitur signi, idque quoad volutatem formale; hoc est sufficit conformitas cū voluntate diuinā quatenus præcipiente, aut consulente nobis aliquid, & in ordine ad finem nobis præscriptum. Constat autem Deum vnicuique præcipere, ac consulere, quæ conferunt ad cuiusque beatitudinem, & quatenus ad eam conferunt. Non autem res omnes habent eundem conuenientiam gradum respectu finis, prout ab vnoquoque querendi, & obtinendi, quem bonitatis gradum habent secundum se præcisè considerat. Ergo vt homo satisfaciatur conformitati ad quam tenetur, cum voluntate diuinā, non debet ordinate suos affectus omnes, & quoad omnia secundum gradum bonitatis conuenientis rebus secundum se, sed secundum gradum bonitatis conuenientis relatè ad vnumquemque, & ad propriam cuiusque beatitudinem. Atque Philosophus amicos dicit esse conformes in volendo quoad communem felicitatem. Qua additione confirmat, quæ dicta sunt.

Ad 2. Motium Charitatis est summum bonum, cuius tota inclinatio, & exigentia est voluntas diuinā, ac proinde explicato ordine Charitatis relatè ad voluntatem diuinā, vt modo explicatus est, non est

R. P. de Esparza Conf. Theol. Tom. I.

opus explicatione alia ordinis conuenientis Charitati ex natura, & exigentia sui motiui.

Ad 3. Non potest rebus conuenire alius veritatis gradus relatè ad aliquem intellectum, aut intelligentem, quam conueniat eidem secundum se. Quia veritas cuiusvis intellectus consistit in conformitate cum intellectis. At bonitas, & amabilitas respectu vniuscuiusque potest esse diuersa à gradu bonitatis conuenientis rebus secundum se. Contingit enim vnum atque idem bonum esse conueniens vni, simulque disconueniens alteri; & conuenientius vni, quam alteri. Ergo non est eadem necessitas conformitatis inter voluntatem, & bonitatem conuenientem rebus secundum se, quæ est conformitatis inter intellectum, & res intellectas secundum se, vt cumque animus volentis sit optime dispositus.



Incipit quinta pars

De vitiis oppositis Fidei, Spei, & Charitati.

DE iis vitiis in genere constat satis ex dictis in parte prima circa virtutes contrarias. Dicitur ergo de illis tantum in specie eodem ordine, quo de Virtutibus.

QVÆSTIO XLIV.

Virum infidelitas sit peccatum?

MIBETUR non esse peccatum. 1. Quia peccatum ex suo conceptu est contra naturam, vt tradit Damasc. lib. 2. Fidei Orthod. cap. 4. & 30. Infidelitas autem non est contra naturam. Quia Fides, cui opponitur infidelitas, non est conformis naturæ sed est supra naturam, & spectat ad gratiam Dei superadditam naturæ, dicente Augustino lib. 1. de Prædest. Sanct. cap. 5. versus finem. *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum. Habere autem fidem quæ, nammodum habere charitatem gratia est fidelium.* Ergo infidelitas non est peccatum.

2. Infidelitas inest pluribus inuitabiliter. Quia fides, qua sola potest excludi infidelitas, pluribus est impossibilis. Iis nimirum omnibus, quibus nunquam prædicatum est Euangelium. *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt?* vt dicit Apostolus ad Rom. 10. 14. Est autem de conceptu peccati, vt sit vitabile. Quia est de conceptu eius, vt sit voluntarium, & liberum. Ergo non est vniuersaliter de conceptu infidelitatis, vt sit peccatum.

3. Omne peccatum reducitur ad aliquod ex septem vitiis capitalibus, vt tradit D. Thom. 1. 2. q. 84. art. 4. eaque de causa ibidem ex doctrina Gregorij lib. 3. 1. Moral. cap. 3. 1. dicuntur vitia capitalia, inanis gloria, inuidia, ira, auaritia, tristitia, gula, & luxuria. Infidelitas autem ad nullum ex his vitiis reducitur, vt colligitur; tum ex Gregorio ibidem enumerante omnia vitia secundaria, quæ ad singula ex dictis septem capitibus subsequuntur, quin tamen infidelitatis vlli bi meminerit; tum quia nullius ex iisdem vitiis motium est oppositum motiui fidei. Quinimo omnia ea vitia etiam in summo gradu sunt composibilia cum fide, vt apparebit à fortiori ex dicendis quæst. 2.

4. Nullum datur præceptum de fide. Ergo nullum peccatum est infidelitas. Patet consequentia ex Apostolo ad Rom. 4. 15. *Vbi enim non est lex, neque præuaricatio.* Probatur antecedens. Quia de fide nullum fuit præceptum in lege veteri, vt tradit D. Thom. q. 16. ar. 1. & probat, quia fides in primis de existentia Dei non potest præcipi. Antequam enim feratur lex, habetque

E E e

beatque